



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio XIII. De purgatorio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

per consequens non potest actus iudicialis circa illa exerceri. adde quod absque causæ cognitione confessarius non possit prudenter penitentiam taxare, & proinde nec priorem mutare, vel moderari.

117.
Coroll. alt.
rum.

Ex priori ratione sequitur, quod ne quidem id possit ipse confessarius, qui penitentiam iniunxit, quia extra Sacramentum non potest actum iudicalem exercere, & sacramentalem penitentiam imponere. idem tamen potest mutare, quando moraliter censetur in eodem actu iudicii perseverare, ut si penitens petat pauld post absolutionem suam penitentiam mutari; si omnibus spectatis iudicium censetur ita completum, ut penitens non censetur amplius in eodem perseverare, non potest mutare, nisi repetita confessione, quod vno verbo fieri potest, si confessarius præcedentis confessionis meminerit, dicendo se illa peccata clauibus subijcere, & cupere penitentiam mutari.

Præter modum, quo pœna tollitur per satisfactionem, sunt duo alij, scilicet per satisfationem in purgatorio, & per indulgentias, de quibus ad complementum materiæ de penitentia aliquid dicere non videtur à proposito alienum. itaque

QVÆSTIO XIII.

De purgatorio.

DVBIVM I.

Utrum detur purgatorium?

1.



Bellarmin.
Valent.

A c de re occasione Hæreticorum nostri temporis fuisse, & doctè scripserunt varij recentiores, qui de controuersijs tractarunt, ac inter cæteros Bellarminus lib. 1. de purgatorio. Valentia tomo 4. disp. 11. quæst. 1. puncto 1. hanc enim veritatem negarunt varij tam antiqui, quam nostri temporis Hæretici, ut videre licet tum apud alios, tum apud prædictos authores lib. cit. cap. 2. & puncto cit. §. 5. qui referunt quod Lutherus primò quidem censuerit dari purgatorium, non tamen posse ex scripturâ probari, postea docuerit id posse probari, & tandem purgatorium absolute negarit. quæ secuti sunt alij recentiores Hæretici, contra quorum errorem statuitur conclusio.

2.
Conclaf.
Cathol.
purgato-
rium.
Florent.
Trident.

Fide certum est dari purgatorium, in quo iustorum animæ non plenè à peccatis purgata post mortem satisfaciuntur. definitur in Conc. Flor. decreto de purgatorio, & in Trident. sess. 6. can. 30. videri potest decretum de purgatorio, sess. 25.

Prob. 2. ex
Script.
2. Machab.
11.

Probatur 1. ex Scripturâ 2. Machabæorum 12. Iudas Machabæus factâ collatione duodecim milia drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene, & religiosè de resurrectione cogitans &c. quod approbans scriptura subiungit: sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis orare, ut à peccatis solvantur. ex quo loco cum variaz fidei veritates pateant, ut animæ immortalitas, resurrectio mortuorum, quod remissa culpa non semper tota pœna simul remittatur, quod animæ defunctorum suffragijs viuorum iuari possint, tum peculiariter ostenditur veritas purgatorij. quamuis enim ipsum nomen purgatorij non ponatur: Scriptura tamen ita loquitur, ut rem nomi-

ni subiectâ declarat. supponit enim animas posse decedere ex hac vitâ non plenè purgatas, & puniri, donec vel perfectè passæ fuerint pro peccatis remissis, vel auxilio viuorum sit illi subuentum. ergo partim supponit, partim declarat esse purgatorium, in quo huiusmodi animæ puniantur, cum hæc punicio alicubi fieri debeat.

Contra hunc locum clarissimum obiciunt Hæretici 1. quod liber Machabæorum non sit canonicus, sed id falsum esse pater ex Concil. Carthaginensi 3. cap. 47. Augustino lib. 8. de ciuitate Dei cap. 36. docente libros Machabæorum tanquam Canonicos ab Ecclesiâ recipi, & lib. 2. contra epistolam Gaudentii cap. 23. dicente, & hanc quidem Scripturam, quæ appellatur Machabæorum, non habent Iudæi, sicut legem, & prophetas &c. sed recepta est ab Ecclesiâ non inutiliter, si sobriè legatur.

Obiiciunt, dicit: si sobriè legatur, quâ loquendi formâ significat non habere infallibilem auctoritatem, sed solum posse recipi, tanquam vtilem librum.

Resp. negando assumptum: quia per illa verba Augustinus non vult quidquam detrudere auctoritati libri, sed solum monere non imitanda exempla eorum, qui se occiderunt, quorum ibi fit mentio, & quorum exemplo suum errorem confirmabant Donatistæ, ut satis pater ex cap. cit. nec obstat quod cap. 14. laudetur Razias, qui se occidit, quia, ut August. cap. 23. cit. non laudatur, quod pie, & sanctè fecerit, sed solum quod fortiter, & viriliter. vnde ibidem dicitur: istam eius mortem mirabiliorem quam prudentiorem narrant, quemadmodum facta esset, non tanquam facienda esset, scriptura laudauit.

Obiiciunt 2. quod ii, pro quibus sacrificia fuerunt oblata, mortui sint in peccato mortali, cum, ut pater ex antecedentibus eiusdem cap. 12. inuenta fuerint sub tunicis interfectorum de donariis idolorum, à quibus lex prohibet Iudæos, scilicet Deuteronomij 7. censent ergo id à Iuda factum per modum officij, & ad declarandum affectum. sed quidquid sit de eo, an interfecit mortaliter peccauerint occultè accipiendo aliquid lege prohibitum, ex sententiâ citatâ clarè constat id non esse factum à Iuda solius officij causâ, & ad declarandum apud alios affectum erga defunctos: si enim nihil aliud spectasset, quâ ratione Scriptura ex eius facto intulisset: sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis orare, ut à peccatis solvantur? ut quid ex facto Iudæ hortatur ad orandum pro defunctis, & quidem ut soluantur à peccatis, si id solum fecerit ad declarandum affectum, non verò ut eorum animabus consuleret?

Resp. ergo 1. potuisse aliquos solum venialiter peccare, quod sibi persuaserint id non fuisse gratè prohibuit.

Resp. 2. si fortè in eo mortaliter peccarint, potuisse saltem aliquos per contritionem perfectam de eo peccato conceptam illius remissionem consequi.

Resp. 3. quidquid sit de eo, quod assumitur, num scilicet reipsa mortaliter peccauerint nec ne, Iudas moueri potuit ad sacrificia offerenda eo quod existimauerint potuisse fieri, & fortè reipsa factum, quod aliqui in gratiâ decesserint: quibus tamen restaret aliquid pœne persolgendum, idque iuxta communem conceptum de purgatorio, quod Iudæ persuasionem satis indicat scriptura dicens: & quia considerabat (scilicet Iudas) quod his, qui cum

Obiectio 3. Obijciunt 3. quod factum vnius non debeat in exemplum omnibus proponi. ad quod

Resp. 1. negando, quando illud à Scripturà approbatur. nam quod Scriptura approbat, itaquam sanctum, & pium, potest merito proponi imitandum. adde quod id factum sit ex communi conceptu, quod animæ post hanc vitam interdum ad tempus pro peccatis puniantur.

Resp. 2. negando fuisse vnius solius factum, & exemplum: fuit enim communis, quæ conturbat ut sacrificia pro defunctis offerrentur.

Dices cap. 12. cit. Machabæorum author videtur indicare animas censendas mortales si non deatur resurrectio, quod tamen nullo modo sequitur, cum possint esse immortales, quamuis corpora nunquam resumerent.

Resp. concedendo assumptum, ad subsumptum dico id quidem ex solâ re naturâ non sequi: spectat tamen diuinâ providentiâ & iustitiâ bene sequi, atque adeo non solum hic, sed & alibi Scripturam pro iisdem sumere, dari resurrectionem, & animam esse immortalem, seu ex vno aliud docere, vt patet Matthæi 22. vbi Christus contra

Saducæos ex animæ immortalitate ostendit resurrectionem, quia non est Deus mortuorum sed viuientium, & Apostolus prior ad Corinthios 15. ait: quid mihi prodest, si mortui non resurgent? manducamus, & bibamus, eras enim moriemur, quia nimirum posita fide de providentiâ, & iustitiâ diuinâ in præmiandis hominibus, si anima est immortalis, resumer corpus, vt in eo, & cum eo tanquam laborum comparticipare, vel instrumento actuum virtutis præmia recipiat, & ipse homo, qui bene est operatus, recipiat mercedem, & peccator puniatur.

Probatur 2. conclusio ex eadem Scripturâ, prioris ad Cor. 3. fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. si quis autem super ædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. si cuius opus manserit, quod super ædificauit mercedem accipiet, si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem, quæ vltima verba plurimi Patres accipiunt de igne purgatorij, & ex illis veritas purgatorij optimè ostenditur. pro quo

Notandum quod cum aliqui Corinthij ex zelo quodam imprudenti vanè sibi applauderent de suorum concionatorum eloquentiâ, & facundiâ contra Apostolum, is doceat se primum annuntiasse fidem in Christum, atque adeo in eorum edificio spirituali fundamentum posuisse: alios verò superædificasse, qui si ædificauerint aurum, argentum, lapides pretiosos, id est, sanam, & vtilem doctrinam comprobata vitæ integritate, & sanctitate, mercedem accipient; si autem fenum, stipulam &c. id est, doctrinam curiosam cum vanitate &c. detrimentum patientur, ita tamen, vt salui sint futuri; hoc autem dies Domini declarabit, id est, in iudicio cuiusque, quando audabuntur singulorum opera, manifestum fiet, quid quisque superædificauerit, ex quo aperte colligitur aliquos post mortem penas temporales passuros, sic tamen vt ipsi salui fiant, & proinde dari purgatorium. quemadmodum enim do-

cet mercedem post mortem accepturos sine vili tormentis eos, qui aurum superædificauerunt, ita docet alios, qui superædificauerunt ligna, fenum, stipulam, quæ sunt arsuræ, detrimentum passuros per ignem, ita tamen vt tandem salui fiant. quem sensum esse literalem patet omnia conferenti, patet etiam ex varijs Patribus, quos citat Bellarminus lib. cit. cap. 5.

Nec obstat quod varij Patres interdum aliquas huius loci sententias aliter explicant, quia non ideo negant veritatem purgatorij inde posse probari, & explicationem à nobis allatam esse literalem.

Eadem veritas Probatur 2. ex Liturgijs, in quibus oratur pro defunctis, item ex Patribus, qui censent pro iisdem orandum, & ex totius Ecclesiæ consuetudine: nam inde manifestè patet Ecclesiâ à sui exordio sensisse quibusdam defunctis restare aliquid pænæ persolendum, antequam in celum recipiantur, cum sine huiusmodi fide non possit moueri ad preces pro defunctis fundendas, cum sciat non posse prodesse damnatis, beatos autem in celo regnantes ijs non indigere. videri potest S. Aug. libr. 9. confessionum cap. 13. & plures, quos cit. Bellarminus suprà cap. 10.

Probatur 3. ex Cypriano lib. 4. epist. 2. dicente: aliud est ad veniam stare, aliud ad gloriam peruenire, aliud missum in carcerem non exire, donec soluat nouissimum quadrante, aliud statim fidei & virtutis accipere mercedem, aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emendari, & purgari diuine, aliud peccata omnia possessione purgasse. August. in psalmum 37. dicente: in hac vita purges me, & talem me reddas cui iam emendatorio igne non opus sit. lib. de cura pro mortuis dicente cap. 1. in Machabæorum libris legitur oblatum pro mortuis sacrificium, sed et si nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parua tamen est vniuersa Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, autoritas, vbi in precibus sacerdotis, quæ Domino ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum; & alibi saepe agnoscere mortuos suffragijs viuorum iuari. videri potest libr. 9. confessionum cap. 13. ex quibus & alijs August. testimonijs patet eum non dubitasse de ipsa purgatorii veritate, licet dubitaret de quibusdam eiusdem conditionibus, vt de modo, & qualitate punitionis, de conditione ignis &c. videri possunt plures Patres apud Bellarm. locis cit. & Valentian. puncto cit. §. 8.

Probatur 4. ex eo quod sit de fide non semper remissa culpa totam pœnam deleri, vt superiori quaestione contra hæreticos ostendimus; satis autem constat non omnes in hac vitâ pro huiusmodi pœnis satisfacere, vnde ordo diuinæ iustitiæ postulat, vt in futurâ vitâ satisficiantur, antequam in celum recipiantur.

Contra hanc veritatem multa obijciunt hæretici ex Scriptura, quæ si bene considerentur, apparebit vel nihil ad rem facere, vel in eis doceri duo esse loca extrema: alioquin si inde suum intentum probarent, ex quibusdam probare possent omnes antiqui testamenti vel rectâ ad celos iussu, vel in infernum detrusos, deberentque sinum Abrahamæ negare.

Obijciunt Ecclesiastæ 11. dicitur: si ceciderit lignum ad Austrum aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.

Ref. ex hoc loco nihil posse confici, quia Scriptura hic solum vult significare post hanc vitam non esse locum acquirendi, vel perdendi diuinam

amici-

8.

Prob. 2. conclusio ex Liturgijs & PP.

9.

Prob. 3. ex Cypriano.

August.

10.

Prob. 4.

11.

Obiectio 1. ex Ecclesiæ 11. Resp.

Locus
2 Cor. 5.
explicatur.

Apoc. 14.
locus eluci-
datur.

amicitiam, quod verissimum est, etiam posita veritate purgatorij, & respectu animarum, quae in eo detinentur, quae cum in diuinā amicitia decesserint, nunquam ab ea excident, debentque dici cecidisse ad Austrum, quia tandem post perfolutas penas peccatis debitas aeternā beatitudine perfuerunt. eodem modo est intelligenda sententia Apostoli 2. ad Corint. 5. omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum. nam etiam hi, qui penas temporales luent post hanc vitam, referunt quod gesserunt in corpore. recipiunt enim vitam aeternam, quia decedunt in gratiā: quia tamen aliqua mala egerunt, quae non fuerunt plenē purgata in hac vitā, purgari debent in alterā, antequam gloria caelesti perfuerunt. consimili ratione potest intelligi quod habet S. Ioannes in sua Apocalypsi cap. 14. beati mortui qui in Domino moriuntur, amodo iam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos. potest, inquam, ita intelligi, ut non velit Apostolus nullum iustum post hanc vitam puniri, sed felicem esse, & recepturum primum bonorum operum, quae gessit in hac vitā, siue id fiat absque vllā purgatione (quia nihil habet purgandum) siue post perfolutas penas, quas propter aliqua peccata sibi condonata debet perfoluere. nisi quis malit Apostolum agere de tempore post extremum iudicium, quo desinet esse purgatorium.

12.

Obiectio 1.
ex Matth.
25.

Obijciunt 2. Matth. 25. *venite benedicti patris mei possidete paratum vobis regnum &c.* & infra: *discedite à me maledicti in ignem aeternum.* quo loco Christus Dominus duos solum ordines hominum ponit, & duo loca.

Resp.

Resp. mirum non est si duo tantum loca ibi ponantur: quia agitur de extremo iudicio, post quod nō durabit purgatorium, sed in eo finem accipiet, & omnes iusti in caelum recipiuntur. de his duobus locis aeternis intelligitur author libri hypognosticon apud Aug. lib. 5. vltra medium, cum dicit: *primum locum fides Catholicorum diuinā auctoritate credit regnum esse calorum, secundum gehennam, ubi omnis apostata vel à fide Christi alienus aeterna supplicia experietur, tertio penitus ignoramus, in dō nec esse in scripturis sanctis inuenimus.* loquitur, inquam, author de locis aeternis, quae ait solum esse duo, quod est de fide contra Pelagium (contra quem eo loco disputat) qui tertium locum constituit pro paruulis non baptizatis, quos censuit esse beatos beatitudine quadam naturali extra caelum, & infernum.

13.

Obiectio 3.
ex Ezech. 18.

Obijciunt 3. si daretur purgatorium, Deus recorderetur iniquitatum impij auertentis se ab impietate suā, quod est contra id, quod habet Ezechiel cap. 18.

Resp.

Resp. negando assumptum ad sensum scripturæ, quia eo loco recordari iniquitatum est in aeternum punire. vult ergo Dominus per prophetam, quod si impius auerterit se ab impietate suā &c. animam suam viuificabit, in amicitiam cum Deo redibit, nec propter antiqua peccata in aeternum punietur tanquam Dei inimicus, cum quo optimē consistit, quod si pro iisdem peccatis non plenē satisfecerit, debeat ad tempus puniri, antequam ad regnum calorum admittatur.

14.
Obiectio 4.
ex varijs
pp.

Obijciunt 4. varios Patres qui volunt post hanc vitam non esse locum poenitentiae, hominem non posse satisfacere pro peccatis, non posse recipi remissionem peccati. ad quod dicendum eos intel-

ligi de remissione culpæ, & satisfactione pro eadem, atque ita non repugnare veritati purgatorij, quam illi, & alij agnoscunt.

Aduerte quod licet interdum quidam animae extraordinarie alibi puniantur, communiter tamen purgantur in certo loco, qui iuxta communē Theologorum sententiam est in visceribus terrae iuxta infernum. nam preter caelum quatuor alia loca constituunt 1. locum damnatorum, qui cum mortali ex hac vitā decedunt, qui locus est in infernis terrae visceribus, diciturque infernus. 2. locum paruulorum, qui sine baptismo cum culpa originali moriuntur, qui etiam dicitur infernus à Florent. decreto de purgatorio. 3. limbum, in quo detinebantur patres ante perfolutum pretium redemptionis generis humani. 4. purgatorium, qui est tanquam carcer, in quo animae iustorum, qui non plenē in hac vitā satisfecerunt, detinentur & puniuntur, donec diuinæ iustitiae sit satisfactum, haec fusiùs videri possunt apud Bellarm. lib. 1. de purgatorio cap. 6. & Suarem disp. 45. sect. 1.

D V B I V M II.

De conditione animarum, quae in purgatorio puniuntur?

SUPPONO in purgatorio eorum solum animas detineri, & puniri, qui in veniali moriuntur, vel non plenē satisfecerunt pro peccatis mortalibus. nam ut patet ex Florent. decreto de purgatorio, qui moriuntur in mortali vel originali, mox in infernum descendunt, & ut constat ex sensu Ecclesiae, in aeternum damnantur: qui verò ita moriuntur in gratiā, & amicitia Dei, ut nihil purgandum habeant, mox in caelum recipiuntur.

Confir. de eo cuius anima in purgatorio detinetur, dicitur prioris ad Corint. 3. *ipse autem saluus eris, sicut tamen quasi per ignem.* ex quo patet eum cuius anima in purgatorio detinetur, aliquando saluandum, quod dici nequit de eo, qui in mortali decedit, vel etiam in originali. hinc

Dico 1. animae in purgatorio detentae sunt iuste & in Dei gratia; patet ex suppositione.

Dico 2. eadem animae nunquam ab illa gratiā excident. est de fide.

Probatur, quia illae sententiam receperunt, & ceciderunt ad Austrum, ergo in ea parte manebunt.

Dices, huiusmodi animae nondum Deum clare vident, ergo nihil obstat quod minùs possint peccare, etiam mortaliter, cum nulla pura creatura citra Dei visionem reddatur impeccabilis. Confir. grauissima tormenta patiuntur.

Resp. argumentum solum concludere eas non esse impeccabiles ab intrinseco, seu ex intrinseca suā dispositione, quod concedimus: cum eo tamen potest consistere, quod nunquam Deum reipsa sint offensura, Deo illas custodiente, & dirigente, vnde nunquam quidquam contra rationem velint, nec vnquam erumpant in motum rationi disformem, quemadmodum beata Virgo ab intrinseco peccabilis ita fuit à Deo custodita, ut nullum vnquam vel minimum peccatum veniale commiserit. Porro hanc custodiam Deus conformiter suae prouidentiae debet animabus in purgatorio detentis, cum, ut dictum est, iam receperint sententiam, & quidem immutabilem, & proinde ita debent diriggi, ut nunquam reipsa quidquam committant ratione

tionem cuius à gratiâ Dei excidit. ad confirmationem Resp. animas in purgatorio detentas scire se nullissime puniri propter peccata, quibus nondum diuine iustitiæ est satisfactum, atque ita cum diuino auxilio pœnas patienter ferre per omnia diuina voluntati sese submittentibus. contrarium impie Lutherus sentit art. 39. damnato à Leone decimo, asserens illas sine intermissione peccare.

Dico 3. eadem animæ certæ sunt de suâ salute.

Probatur, separatæ optimè norunt suum statum, & proinde norunt se esse in purgatorio, qui est locus saluandorum, ita ut simul sciant nullum exilientem in purgatorio aliquando damnandum; sciunt etiam se in gratiâ decessisse, & proinde non esse damnandas, cum sciant vnumquemque recepturum secundum id, quod gessit in corpore suo; sciunt item se sententiam recepisse, quæ non fuit damnationis, & proinde debuit esse saluationis aliquando obtinendæ, cum solum sint duo ultimi termini. hæc conclusio est communis Catholicorum contra paucos, qui existimant quasdam animas in purgatorio puniri in eo, quod de suâ salute sint incertæ, quorum sententia, ut ex his patet, omni caret probabilitate. nam etiam si aliunde non scirent, possunt facili discursu aduertere se non esse in inferno, cum sciant se in gratiâ decessisse, sciunt etiam se Deum non blasphemare, non carere fide, & aliis virtutibus, & proinde cum non sint in cælo, possunt apertè deducere se esse in purgatorio, quem locum sciunt ex fide non esse vltimum terminum, sed esse viam ad cælum pro iis, qui non plenè purgati in gratiâ decedunt.

Petes, an dici possint sperare beatitudinem? Resp. affirmatiuè: quia si quid impediret, esset hæc certitudo; ea autem non debet impedire, cum illa non obstant nonnullis sententiis assecutæ summum bonum, illudque sit eis verè arduum.

Contra hanc conclusionem obijcitur, quod animæ in purgatorio detentæ valde perturbentur, iuxta id, quod in officio defunctorum legitur, *animæ mea turbata est valde*; hæc autem perturbatio videtur oriri ex incertitudine salutis.

Respondeo 1. negando minorem quia huiusmodi tristitia potest prouenire ex pœnarum acerbitate.

Respondeo 2. licet hæc legantur in officio defunctorum, non tamen necesse est applicari animabus in purgatorio detentis, quia non est necesse omnia, & singula verba, & sententiæ applicare defunctis, eò quod aliquis psalmus in eorum officio legatur. nam Ecclesiæ interdum legitur aliquem Scripturæ locum propter aliqua verba, quæ ad rem, & eius scopum faciunt.

Obijcitur 2. quod in Milsâ de defunctis dicitur: *Libera Domine animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu, libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscuro.*

Resp. 1. si quid ex argumento conficitur, non tam confici animas in purgatorio esse incertas de salute, quam ipsam Ecclesiæ, cuius est illa oratio, & quæ illam fundit pro animabus in purgatorio detentis, quod est falsissimum, cum in Ecclesiâ certum sit animas in purgatorio detentas aliquando inde exituras.

Resp. 2. Ecclesiæ ita orare non ex aliquâ incertitudine in se vel in animabus purgatorij, sed per illam orationem primò in reipsâ intendere petere, ut liberentur à pœnis purgatorij, 2. ut tali formâ, quod illas repræsentet tanquam nondum iudicatas, & quasi adhuc in salutis discrimine

constitutas, quemadmodum naturam, passionem, resurrectionem Domini, &c. certis diebus ita nobis repræsentat, ac si tunc contingerent.

Dico 4. animæ in purgatorio detentæ sunt extra statum merendi, vel demerendi. est contra Lutherum, qui, ut refert Bellar. lib. 2. de purgatorio cap. 2. cum purgatorium confiteretur, censuit animas in eo posse mereri, & rursum continuò peccare, quæ sunt apertè heretica. & quidem posterior pars facile patet ex dictis concl. 2. Probatur quoad vtramque partem 1. ex Scripturâ, Ecclesiast. 9. *quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos quò tu properas.* quo loco Scriptura non vult per inferos designare infernum, prout communiter accipitur, sed sumit in genere, prout complectitur omnia loca, ad quæ mortui ante Christi resurrectionem descendebant. 2. per illas voces, *opus, ratio, sapientia, &c.* non vult negare quidquam agi, vel sciri in aliâ vitâ, sed docere non esse locum merito, vel demerito. vult ergo significare tempus meriti, vel demeriti cum hac vitâ finiri. eodem lib. cap. 11. *si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Ioann. 9. *venit nox, quando nemo potest operari.* quo loco non negatur operatio in genere, sed ea, per quam de nouo aliquod meritum comparatur. 2. ad Cor. 5. *omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum.* ad Galat. 6. *quæ seminauerit homo, hæc & metet.*

Prob. 2. ex Patribus, Chrysost. hom. 55. in Ioan. *dum hæc durat vitâ, laborandum est, venit nox, hoc est, futurum tempus, quando nemo potest operari.* Hieron. in cap. 6. ad Gal. *tempus sementis, tempus est præsens, & vitæ, quam currimus; in hac licet nobis quod volumus seminare, cum ista vitâ transierit, operandi tempus auferetur.* August. cap. 110. *enchiridi: hic omne meritum comparatur, quo posuit post hanc vitâ reuelari quispiam, vel grauari, nemo autem speret quod hic neglexerit, cum obierit, apud Deum promereri.*

Probatur 3. ex eo quod tempus huius vitæ sit tempus pugnæ, & tendendi ad coronam, quod proinde solum datum est ad meritum comparandū.

Quamuis autem non possint sibi quidquam mereri: possunt tamen pro nobis orare, cum sint præditæ charitate, per quam nobis bene velint, & sciant homines in hac vitâ mortali esse obnoxios multis miserijs, & malis.

Obijcitur tamen 1. quod nō sint in charitate perfectæ, unde tam mereri, quam peccare possunt.

Resp. neg. consequentiam: licet enim eo sensu dicantur imperfectæ in charitate, quod nondum sint in statu connaturali charitatis, eò quod nondum Deum videant, non possunt tamen mereri, vel demereri propter rationes in hac, & in 2. conclusione allatas, cum solum tempus huius vitæ sit tempus, quo charitas augeri potest vel perdi.

Obijcitur 2. quod pœnas refugiant.

Resp. ea in re nullam esse inordinationem, quia possunt refugere pœnas, tanquam naturæ contrarias, & de illis dolere, sese nihilominus submittendo diuine voluntati: possunt etiam desiderare citò ab eis liberari, ut possint coniungi Deo, & illo perfrui.

Petes, quando animæ iudicentur:

Resp. cum primò à corpore separantur saltem communiter, seu cum primò desinunt corpus informare, estq; verisimile id fieri, dum adhuc sunt in corpore. prius patet ex eo quod certum sit animas in peccato mortali decedentes inferni ignibus ad-

dici,

22.

Conclus. 4. contra Lutherum.

Prob. 1. ex Script. Eccles. 9.

Ibid. cap. 11.

Ioan. 9.

2. Cor. 5.

Gal. 6.

Prob. 2. ex PP. Chrys. Hieron.

August.

Prob. 3.

Possunt animæ in purgatorio pro alijs orare.

23.

Obiectio 1.

Resp.

24.

Obiectio 2.

Resp.

25.

Petitio.

Resp.

dici, similiter animas, quæ nihil habent purgandū, statim clarè Deum videre, vt patet ex Florent. decreto de purgatorio; iudicium autem debet hæc præcedere; igitur iudicium in primo instanti separationis exercetur, etiam quoad animas, quæ ignibus purgatorij sunt puniendæ, cū respectu illarum non sublit ratio differendi iudicium. Confirmatur ex cap. 11. Ecclesiastici: *facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas*, & infra: *in fine hominis denudatio operum eius*. vbi scriptura significat vnumquemque statim à morte recipere sententiam, & iudicium suorum operum. adde, generaliter loquendo, non subesse causam differendi iudicium, igitur dicendum statim fieri. Posterius prob. ex eo quod possit cōmodè fieri vt primo instanti, quo desinunt corpus informare, simul tamen loco cum illo remaneant, sententia illis innotescat. Confr. non est conueniens aliō deduci, vt iudicentur. quo enim deducuntur? aptissimè ergo iudicantur in corpore.

Verisimili-
ter animæ
iudicantur
in corpore

26.

Est verò probabile hoc iudicium post resurrectionem Christi ab eodem homine exerceri, cū etiam secundum quod homo, sit omnium index, iuxta id quod Matt. vlc. dicit sibi datam omnem potestatem in cælo, & in terra. quæ potestas etiam de iudiciariā intelligitur. neque obstat loci distantia, quia saltē supernaturaliter potest Christus in maximā distantia apparere, & ex eadem distantia audiri, vnde verisimile est Christum visibiliter apparere iudicandis.

Verisimili-
ter Christi
visibili-
liter appa-
reti iudican-
dis.

In responsione dixi, communiter, propter quasdam reuelationes, quarum aliquæ videtur indicare animas fuisse ante mortem iudicatas, aliæ autem indicant fuisse iudicatas aliquanto tēpore post mortem. verū si hæc contigerint, sunt planè extraordinariæ, neque propter huiusmodi reuelationes existimandum est ita communiter fieri, potest etiam dici iudicium non fuisse eo tempore peractum, sed solum manifestatum ad aliorum instructionem, quasi tunc sententia declararetur.

D V B I V M III.

De pœnis, quas animæ patiuntur in purgatorio?

27. Conclus. 1. Dico 1. animas in purgatorio detētas pati aliquam pœnā damni. nam propter suā præcedentia peccata retardantur à clarā Dei visione, quod satis patet tū ex Cōc. Flor. decreto de purgatorio, tum quod illæ animæ nondum plenè pro peccatis satisfecerint, nullus autem admittitur in cælū, antequam plenè sit satisfactum diuinæ iustitiæ, cū non sit connaturale statui beatifico, & visioni Dei aliquid pati. cū verò careant visione Dei propter sua peccata, constat hanc carentiam esse pœnam propriè dictam. Ex hac carentiā oritur dolor in illis animabus. solent enim se propter peccata retardari à videndo Deo, quem summè diligunt, quā tristitia potest pertinere ad pœnam damni, vt plures docent in simili, in 1. parte vel 1. 2.

28. Conclus. 2. Dico 2. præter huiusmodi pœnam animæ in purgatorio detētas patiuntur aliam prouenientem à causis extrinsecis, scilicet ab igne. patet ex Apostolo 1. ad Cor. 3. *ipse autē saluus eris sic tamen quasi per ignem*, vbi particula, *quasi*, non indicat non esse verum ignē, qui animas torquet in purgatorio, sed explicat, quod is, qui superædificat lignū &c. non sit futurus saluus sine pœnis, sed antequam ad gloriā, & visionem Dei admittatur, debeat pati tormentum

ignis. idem docent Patres Cypr. & Aug. dub. 1. cit. & plurimi alij. idem communiter tradunt Doctores, qui docent eundem esse ignem purgatorij, & inferni; ex Scripturā autem constat ignem inferni esse verum, & propriè dictum ignem, vt patet ex Matth. 25. *item maledicti in ignem æternum*.

Disputari verò hīc posset, quomodo animæ spirituales puniatur ab igne corporeo, verū eā de re commodior est dicendi locus 1. parte q. 64. vbi Scholastici tractant quā ratione dæmones cruciatur ab igne corporeo, & iuxta sententiam, quam quisque ibi secutus fuerit, philosophari poterit de modo, quo animæ in purgatorio torquentur, cū ignis eodem modo vtroque, tanquam Dei instrumentum, eruciet.

Ex his facile potest colligi grauissimam pœnam purgatorij esse longè grauiorem qualibet pœna huius mundi: tū quia ignis inferni lōgè magis cruciat, quā noster, tum quia tanquam instrumentum diuinæ iustitiæ vehemēter operatur. & ita communiter tradūt Doctores, & varij Patres. vnde Aug. in psal. 37. ait: *quia dicitur, saluus eris, contemnitur ille ignis, ita planè, quamvis salui per ignem, grauius tamen erit ille ignis, quā quidquid potest homo pati in hac vita*. Dixi, grauissimam pœnā purgatorij esse grauiorem &c. quia aliqui cēsent etiam in purgatorio aliquas pœnas esse leuiiores, quā sint aliquæ huius mundi, v. g. acerbiſſimæ. quæ sententiā non videtur omnino improbabilis, quā reuelationes quædam videntur confirmare, quia ratio iustitiæ videtur postulare, vt leuissimum aliquod peccatum, ratione cuius anima detinetur in purgatorio, non tam grauius puniatur, quā in presenti vitā puniri solent grauissima aliqua scelera. aliqui tamen non improbabiler id negant, asserentes omnes animas in purgatorio detētas grauissimam pœnam ignis sustinere, quia Scriptura & Patres hæc de re agentes semper meminerunt ignis, & Apostolus 1. ad Cor. 3. id indicat, cū indicet etiam leuissima peccata, quæ comparantur stipulæ, purgari pœnā ignis; & quamuis ratio diuinæ iustitiæ videatur mitiorem pœnam postulare, grauitas pœnæ, eiusdem breuitate & acceleratione potest compensari, id quod videtur futurū vtilius animabus, quibus melius est breui tēpore grauius puniri, quā diu visione Dei carere, res vtrique est probabilis, & neutrius partis rationes cōiungunt, cū ad Patres dici possit eos memipisse ignis tanquā grauissimi tormenti, eod quod respiciant ad locum Apostoli, & ad illū alludent. Apostolus verò licet mentionem faciat stipulæ, non ideo dicendus est velle leuissima peccata igne purgari, sed quia optimè cōueniebat eius instituto, & comparationi vti huiusmodi vocibus, quia in edificijs construendis solemus vti lapidibus, lignis, stipulis &c. Apparitiones etiam pro priori sententiā inductæ non concludunt intentum, quia dici potest eas non esse accipiendas, vt sonant, sed per quandam similitudinem, & accommodatē ad nostrum captum, & ita vt per illas designetur quasdam animas in tormentis consolationes ab Angelis recipere.

Notandum animas in purgatorio saltē communiter nō torqueri à dæmonibus, quia dæmones id suā sponte non faciunt, ne pœna citius finiatur, non videtur etiam communiter id à Deo illis imperari: cū enim animæ in purgatorio exsistentes diabolus vicerint, & fuerint illo superiores, conuenientius est illas non torqueri per dæmonem: quemadmodum verò non torquentur à dæmonibus, ita verius est ab eisdem non duci ad locum supplicij.

supplicij, sed vel per seipsas ire, vel duci per Angelum custodem.

Ex hac pœnâ ignis dolor sequitur in animâ.

Dubitant verò Doctores, uter dolor sit maior, an is, qui percipitur ex carentiâ diuinæ visionis, an verò is, qui sequitur ex cruciatu ignis percepto? Certum est obieciue, & secundum æstimationem priorem esse maiorem, cum sequatur ex priuatione rei, quæ est præstantissima, non tamen est æquæ certum, an hæc carentiâ magis affligat.

Aliqui enim negant, vt Bonauentura dist. 20. art. 1. q. 2. quem sequitur Bellar. libro 2. de purgatorio cap. 14. quorum sententia est probabilis, eo quòd dolor, qui maximus oriri posset ex dilatione beatitudinis, leniatur gaudio, quod animæ percipiunt ex certâ spe eiusdem beatitudinis. accedit quòd animæ in purgatorio passiones habeant perfectè domitas, vnde facili possunt huiusmodi tristitiam vitare.

Alij tamen non minus probabiliter censent dolorem, qui percipitur ex huiusmodi beatitudinis carentiâ, esse altero maiorem. inquit D. Tho. dist. 21. q. 1. art. 1. ad 3. quæstionculam, quia huiusmodi carentiâ nata est causare maiorem dolorem in animâ coniunctâ Deo per charitatem, considerantem quòd propter sua peccata retardetur à consecutione summæ illius boni, qui dolor non minuitur, eò quòd Deus illum impediatur, quemadmodum enim non impedit dolorem ex causis extrinsecis prouenientem, ita non est quòd dicamus, quòd hunc impediatur. Confit. si quid probant rationes allatæ pro priori sententiâ, etiam probant animas paruum dolorem percipere ex cruciatu ignis: nam si certâ spes beatitudinis minuit dolorem natum sequi ex carentiâ visionis beatificæ apprehensa per modum pœnæ propter peccata, etiam nata est minuire dolorem prouenientem ex afflictione illata per causas extrinsecas. Si quid ex passionibus domitis concludatur, vel concludatur animas non affligi ex illâ dilatione, quod tamen non conceditur, vel etiam valde minuire dolorem, qui ex cruciatu immisso à causis extrinsecis posset prouenire. vnde ex eâ parte non videtur posse quidquam solide asseri, vt ostendatur vnum dolorem subiectiue esse altero minorem. spes ergo beatitudinis obtinendæ in animâ per charitatem Deo coniunctâ, & passiones domitas possunt quidem efficere, vt anima patienter ferat pœnas tam damni, quam sensus, & vt sese diuinæ voluntati submittat, nec prorumpat in motus perturbationis contra rationem: non tamè facit, vt dolor proueniens ex pœnâ damni sit minor eo, qui prouenit ex pœnâ sensus.

Dices, exterior afflictio videtur magis naturæ repugnare.

Resp. vt id possit esse verum in naturâ sibi relicta, natura tamen per gratiam, & charitatem Deo vnita longè pluris facit retardationem consecutionis boni infiniti, quam pœnam quamlibet extrinsecis inflictam, & quantum est ex parte obieci, nata est magis affligi, quando considerat, quòd per peccata sua sit promerita huiusmodi retardationem. nec est quidquam, quod hic dici possit minuire dolorem, quod nō possit similiter dici de dolore proueniente ex cruciatu à causis extrinsecis illato.

Dices ex his sequeretur patres in limbo passos fuisse grauissimam pœnam.

Resp. negando, quia ij non retardabantur à visione Dei propter sua peccata, idque optimè cognoscebant, sed quia pretium redemptionis humanæ nondum erat solutum.

D V B I V M IV.

Vtrum pœna purgatorij sit diuina?

S VERO pœnam purgatorij non duraturam vltra extremum iudicium, quia, vt patet ex Matth. 25. in illo solum duo erunt ordines, vnus eorum, qui mittentur in ignem æternum, alter eorum, qui statim in calum recipientur. vnde licet nulla anima liberetur à pœnis purgatorij, antequam plenè sit purgata per propriam satisfactionem, vel per aliorum preces, & suffragia, si qui tunc aliquid purgandum habeant, diuturnitas pœnæ compensabitur eiusdem acerbitate. hoc supposito

Sorus dist. 29. q. 3. art. 2. in fine censet neminem manere in purgatorio vltra decennium, verum hæc sententia est singularis repugnans communi sententiæ Theologorum, & tacito Ecclesiæ sensui, in qua celebrantur anniuersaria, etiam eorum, qui ante centum, vel ducentos annos mortui sunt.

Dicendum igitur pœnas purgatorij posse esse valde diuturnas iuxta multitudinem eorum, quæ sunt purganda. constat enim aliquem posse mori obtentâ quidem remissione plurimorum & grauissimorum peccatorum: qui tamen nullam satisfactionem præstiterit pro pœnâ ex eis relicta; huius pœnam dubium non est ex sensu Ecclesiæ duraturam vltra decennium &c. (nisi suffragijs viuorum iuuetur, quod non est necesse) Nec refert quòd Deus possit pœnarum diuturnitate earundem acerbitate compensare, quia non propterea id facit, sed diutius punit iuxta rationes iustitiæ suæ, & certè si quid probaret illa Soti ratio, etiam probaret quòd animæ ne ad vnum diem remanerent in purgatorio, quod omni caret probabilitate, vnde voluntaria est definitio decennij sine vlllo solido fundamento.

Toto tempore, quo animæ purgari debent, detinentur tanquam in carcere, ex quo non egrediuntur, nisi ex speciali Dei dispensatione, vel ad petenda suffragia, vel ad aliorum instructionem: quo tamen tempore etiam pœnas luunt. verisimilius autem est pœnam sensus esse æquè intensam toto tempore, quo animæ in purgatorio puniuntur, ita vt suffragia non prosint ad pœnæ diminutionem, sed ad accelerationem. dolor tamen consequens carentiam beatificæ visionis probabiliter paulatim minuitur, accedente consolatione Angelorum referentium instare tempus liberationis.

D V B I V M V.

Vtrum animæ detentæ in purgatorio aliorum suffragijs iuuari possint?

I D negant hæretici, sed certâ fide constat posse, patet ex Conc. Trident. sess. 25. decreto de purgatorio; patet etiam ex liturgijs, in quibus funduntur preces pro defunctis. eadem veritas patet ex varijs Patribus passim citari solitis. videri potest S. August. libr. 9. confessionum cap. 13. probatur etiam ex communione sanctorum, animæ in purgatorio detentæ sunt membra Ecclesiæ, quæ aliorum indigent subsidio, & sunt capaces subsidij, cum sint in gratia, igitur possunt aliorum

41.

Tribus maxime suffragiis iuuari possunt: sacrificium Missae, quod est potissimum medium ad illas animas iuuandas, ut indicat Trid. supra. videri possunt dicta tractatu de sacrificio dub. 14. orationes, & opera penalia, ieiunium, elemosynae, peregrinationes, quibus addi possunt indulgentiae.

42.

Vt profint, debent ab operante in eum finem referri.

bonis operibus iuuari. videri potest Aug. cap. 109. Enchiridij.

Aduerte 1. tria esse genera suffragiorum, quibus animae in purgatorio detentae iuuari possunt: sacrificium Missae, quod est potissimum medium ad illas animas iuuandas, ut indicat Trid. supra. videri possunt dicta tractatu de sacrificio dub. 14. orationes, & opera penalia, ieiunium, elemosynae, peregrinationes, quibus addi possunt indulgentiae.

Aduerte 2. ad hoc vt suffragia, & satisfactiones profint defunctis, debere ab operante in hunc finem referri, vt patet ex dictis precedenti quaestione dub. 4. & quod pro pluribus offeruntur, eò minus prodesse singulis, vt in materia de sacrificio dub. 17. diximus, quod si applicentur defunctis in genere, profint singulis, quantum fert operis conditio, si applicentur alicui in particulari, illi soli profint, non autem alijs, ad hoc verò, vt suffragia profint animae in purgatorio existenti, non est necesse, vt homo in hac vita id expresse desiderauerit, vel ab alijs petierit, quia per vitam laudabiliter actam anima est promerita, vt ab alijs iuuetur, & censetur id implicite desiderasse, & communio sanctorum ad id sufficit, per quam vnum membrum ab alio iuuari potest, adque censent communiter Theologi contra Caiet. nec aliud vult Aug. cap. 110. Enchiridij vt patet ex textu.

Caietani doctrina quaedam reuocatur.

43. Difficultas specialis.

Resp. 1.

Difficultas verò inter Doctores est, quā ratione opera viuorum profint defunctis. quidam enim censent solum prodesse per modum impetrationis, alij è contrario censent solum prodesse per modum satisfactionis, alij vtroque modo.

Prob. 1.

Probatur 1. Doctores communiter censent animas purgatorij maxime iuuari per opera penalia, & maxime satisfactoria (excipio sacrificium, quod est praestantissimum medium illas iuuandi) isque videtur esse Ecclesiae sensus; atqui non esset potior ratio istorum operum, quam aliorum, nisi nostra opera illis prodesse, in quantum satisfactoria.

Prob. 2.

Probatur 2. debitorum poenae non est ita personale, vt nullus pro alio soluere valeat, seu, vt nequeat tolli ratione solutionis ab altero praestita, cum id nullam internam renouationem requirat, non ergo repugnat, quò minus possimus pro defunctis satisfacere, seu, quò minus nostra opera illis possint prodesse per modum satisfactionis, ergo dicendum nos ita eos iuuare. antecedens patet ex eo quòd communi sententiā vnus pro alio inter viuos possit satisfacere. prior verò consequentia probatur, si non repugnet respectu viuorum, non potest ostendi repugnantia respectu mortuorum: posterior verò consequentia probatur, viui applicando sua opera in subsidium animarum purgatorij sine vlla restrictione illa applicant iuxta modum, quo prodesse possunt, ergo per modum satisfactionis.

44.

Resp. 2.

Resp. 2. probabilius est nos posse iuuare defunctos etiam per modum impetrationis, seu nos posse eos iuuare non solum pro illis soluendo, sed peculiari ratione impetrando remissionem poenae. tenent plures quos citat Suarez disp. 48. sect. 5. nu. 4.

Prob. 1.

Probatur 1. Ecclesia censet orationem peculiariter prodesse defunctis quod non potest dici, nisi quia oratio habet vim peculiarem impetrandi. confir. sancti in caelis existentes possunt suis orationibus prodesse animabus in purgatorio deten-

tis, vt aperte colligitur ex vltima oratione, quae post litanias legitur, atqui non possunt aliter eis prodesse, quam per modum impetrationis, cum non sint in statu satisfaciendi.

Respondent aliqui, vt Suarez sectione cit. num. 9. sanctos non impetrare immediate defunctis remissionem poenae, sed vt Deus alios excitet, qui pro eis satisfaciant, verum id videtur minus solidè dici, cum longè aliud sonent verba orationis: *Intercedentibus omnibus sanctis tuis pietatis tuae clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur*, quibus verbis Ecclesia non petit, vt sancti Deum rogent, vt alios excitet ad satisfaciendum pro defunctis, sed vt flexus precibus sanctorum in caelo regnantium illis poenas remittat.

Probatur 2. vnus potest alium iuuare non solum pro illo soluendo, sed etiam impetrando remissionem poenae, vt patet inter homines, non apparet autem ratio, cur apud Deum id fieri nequeat.

Obijcit Suarez quòd homo inconuenienter peccat remitti, id pro quo potest satisfieri.

Resp. negando: contrarium enim in humanis constat: nullus enim censet quidquam inordinatum continere, quòd petatur à principe remissionis eius, pro quo posset satisfieri. adde nobis, vel defunctis poenas non remitti sine omni satisfactione: intercedit enim saltem satisfactio Christi, cuius applicatione remittitur poena.

Confir. si, vt remittatur poena, non sit opus satisfactione eius, cui sit remissio, cur opus erit satisfactione alterius priuati? sufficit vt summum quòd Christi satisfactio applicetur, eamque applicationem sancti suis precibus impetrent. id patet in indulgentijs, in quibus poenae remittuntur ex applicatione satisfactionum Christi. nam, vt habet communis opinio, licet is, qui adimplet opus praescriptum, non sit in gratiā; si tamen indulgentia sit applicanda defuncto, potest ei prodesse, quod non potest aliter fieri, quam ex nudā applicatione satisfactionis Christi, & sanctorum.

Dices in purgatorio non est locus gratiae, sed rigida iustitia.

Resp. satis constare animas defunctorum gratiam consequi, dum alij pro eis satisfaciunt, nihil ergo obstat, quò minus consequantur consimilem gratiam per aliorum impetrationem, & praesertim cum iuxta iam dicta etiam in eo casu interueniat iustitia. vnde ad argumentum Resp. propositionem assumptam eo sensu esse veram, quòd animae in purgatorio nihil possint sibi impetrare, sed, nisi accedant aliorum subsidia, debeant rigide persolvere; cum quo tamen stare potest, quòd in aliorum gratiam poena illis remitti possit.

Obijcit 2. quòd alijs sancti suis precibus purgatorium facile euacuant, cum ij sint amici Dei, quorum orationes sunt maxime feruentes, & ita efficaciores.

Resp. negando assumptum, quia ordo diuinae iustitiae aliud postulat, atque adeò in tali oratione non semper exaudiuntur, nam quod per modum impetrationis obtinetur, non obtinetur lege infallibili.

QVA.